

Franciscus BARGIEŁ SJ

**JOANNIS MORAWSKI SJ (1633-1700)
PHILOSOPHIA**

Sub hoc titulo – sed Polonorum sermone exarata: *Filozofia Jana Morawskiego SJ*¹ – a. 1980 publici iuris facta est dissertatio a me confecta, cuius synthesis nunc latine „Foro Philosophico” traditur.

1. Coepti nostri iustificatio

Morawski sine dubio ex illis est, qui activitate sua scriptisque non parvas habuerunt partes in promovenda cultura in Polonia XVII saeculi. Nomen sibi promeruit maxime qua philosophiae ac theologiae professor per multos annos multorumque textuum auctor, sermone tam latino quam patrio-polono, quorum nonnulli etiam sequente saeculo non semel in lucem prodierunt – aliqui etiam 20 vicibus.

Quod ex philosophicis reliquit, non est magnae amplitudinis. Uno solum volumine 300 paginarum continetur, attamen non parvam in sui saeculi animis commotionem excitasse creditur, nam ad eius editionem opportuna visa est Romana textus censura seu sententia ei favens a generalibus in Societate Jesu librorum revisoribus prolata. Doctrinalem eius auctoritatem commendabant iteratae eius editiones – quattuor ad minimum – in patria nec non Lugduni in Gallia – et quidem factae, quando Auctor noster philosophiam non iam docebat².

¹ Franciszek BARGIEŁ SJ, *Filozofia Jana Morawskiego SJ (1633-1700)*, in: *Studia z historii filozofii*. Pod red. R. Darowskiego SJ, Kraków 1980, s. 116-145 [Joannis Morawski SJ philosophia – in: *Studia ex historia philosophiae*].

² Cfr *Polski Słownik Biograficzny* [Lexicon biographicum polonicum], t. XXI, Kraków 1976, p. 719-721 (B. Natoński); *Filozofia i myśl społeczna XVII wieku*, Warszawa 1979, cz. II, p. 271-380, ubi invenitur biographica synthesis Joannis Morawski duoque excerpta ex eius philosophico tractatu: prologus et I quaestio e IV disputatione – de causis); A. Aduszkiewicz, *Rectitudo et adaequatio – koncepcja filozofii Jana Morawskiego S.J.* [... J. M. conceptio philosophiae], „Archiwum Historii Filozofii i Myśli Społecznej”, t. 38, 1993, p. 65-74.

2. Vitae curriculum

Joannes MORAWSKI, nobili e familia, ortus est alicubi in septentrionali Polonia anno 1633. Triennem philosophiae cursum adhuc iuvenis in Lublinensi S.J. Collegio confecit. Quo absoluto, 18 annos natus, Societatem Jesu est ingressus Cracoviae. Novitiatu absoluto per biennium mediis in scholis Calissiensis [Kalisz] Collegii grammaticam docuit simulque propriam scientiam philosophicam complens. Annis 1655-1659 theologiae studuit in Collegio Romano, ubi venit e patria fugiens tempore incursionis bellicae in Poloniam a suecis exercitibus factae. Inter alios praeceptores habuit ibi celebrem tunc temporis Martinum de Esparza Artieda, a quo – ut videtur – mutuatus est docendi methodum pluresque ideas³.

In Patriam reversus docuit philosophiam (ethicam, logicam, physicam, metaphysicam et mathesim) in Calissiensi Collegio (1659-1664). Ibi quoque suae philosophiae synthesim confecit, quam postea prelo dedit sub titulo *Totius philosophiae principia per quaestiones de ente in communi ex praelectionibus P. J. Morawski SJ explicata*.

Per 14 annos (1664-1678) theologiam – varias eius partes – in Posnaniensi Collegio docebat, scholasticam eius partem (dogmaticam theologiam) explicans *Summa theologiae* s. Thomae Aquinatis prae aliis innixus, cuius commentaria tum prelo dedit, tum in manuscriptis reliquit, ad usum Sodalitatis Marianae imprimis, cuius spiritualem gerebat curam. Ad hunc scopum alia quoque scripta ascetico-devotionalia confecit.

Ab anno 1678 ad 1696 administrationi deditus erat qua collegiorum rector vel studiorum praefectus, Posnaniae et Cracoviae praesertim. Functiones exercitae non parvam eius auctoritatem in propria Provincia Societatis Jesu produnt, quae insuper ipsum suum delegatum elegit in Congregationem Generalem XIII a. 1687.

In supra dato biographico conspectu sat magna elucet varietas activitatis officiorumque Joannis Morawski, in qua occupationes didacticae ac labor scriptoris latine et polonice eminent.

3. Praecipua scripta posteritati tradita

- 1) *Totius philosophiae principia [...] de ente in communi [...]*, Posnaniae 1666, 1682, 1687 et Lugduni 1688.

³ Martinus de Esparza Artieda SJ (1606-1689), Hispanus, theologiae professor Salmanticae, Vallisoleti et in Collegio Romano, auctor operis: *Quaestiones disputatae de Deo uno et trino*, 1657, 1668.

- 2) *Palaestra christianae pietatis*, Posnaniae 1669; ad medium saeculum XVIII 20 editiones. Est autem veluti ascetico-devotionalis vitae directorium manuale imprimis pro Sodalibus Marianis.
- 3) *Quaestiones de Verbo Incarnato et de eiusdem admirabili Matre Virgine [...]*, Lesnae 1671.
- 4) *Quaestiones de Deo uno et trino disputandae [...] in Collegio Posnaniensi a. 1674*, Calissiae; problemata disputata in congregationibus Sodalitatis Marianaе.
- 5) *Quaestiones theologicae selectae ad totam Summam Divi Thomae Aquinatis [...]*, Calissiae 1681. Ad textus nro 4-to et 5-to positos plures dantur referentiae in philosophico textu (1-mo nro).
- 6) *S. Romana Ecclesia ab antiquis calumniis haereticorum de novo suscitatis vindicata*, Posnaniae 1693; disputantur quaestiones apud christianos controversae.
- 7) *Duchowna Theologia* [Theologia spiritualis], Poznań 1695; manuale asceticum polonico sermone exaratum).
- 8) *Fasti sanctorum piis meditationibus exornati [...]*, Posnaniae 1696; puncta pro meditationibus.
- 9) *Droga przed Bogiem śmierć świętych* et latine: *Praetiosa mors sanctorum in conspectu Dei*, Posnaniae 1698.
10. *Ambona Duchy Św. [...] albo ćwiczenia duchowne przez 10 dni*, Poznań 1700 – Manuale exercitiorum spiritualium S. Ignatii Loyola, post mortem Auctoris editum.

4. Textus philosophicus – eius contentum ac momentum

De eius apud contemporaneos momento vel ipsae eius reimpressiones testimonium perhibent, iteratae tunc etiam, quando eius auctor non iam philosophicis occupabatur praelectionibus, quibus ille textus inservire potuisset, utilis ergo videbatur ad communioem usum aliorum etiam magistrorum. Libri autem editio in Gallia evidenter sublineat augetque eius auctoritatem ipsiusque influxus ambitum, qui tali modo extra fines Poloniae egressus est.

Libri contentum ex aliquibus paginis introductoriiis (titulus, operis dedicatio, edendi facultas, quaestionum index) constat ac 288 paginis doctrinalis textus in quinque diversae magnitudinis divisi disputationes; unaquaque duas, tres, quattuor vel quinque comprehendit quaestiones. En brevissimum earum argumentum:

I disputatio, tribus quaestionibus constans, de ente reali, ente rationis deque possibilibus tractat una cum quaestione de distinctione inter essentialia et existentiam – pp. 2-69 (68 paginae).

II disputatio – de non ente seu negationibus in quattuor quaestionibus: sintne negationes independenter a cognitione reales differentesque

ab ente reali? In quonam ente reali negationes aeternae fundentur et in quonam consistant temporales privationes perfectionis alicui debitae, vg. privatio moralis perfectionis in peccato ac de peccati causa – pp. 69-119 (50 paginae). Ultima harum quaestionum maximum insumpsit spatium – 15 paginas.

III disputatio quinque quaestionibus constat, scilicet de entis proprietatibus: de unitate singulari et universali – de universalibus, de variis distinctionibus ac praecisionibus, de vero et bono – pp. 119-225 (106 paginae). Abunde tractantur distinctiones variae denominationis: realis, formalis ex natura rei, virtualis interna et externa, realis in aliquo tertio, modalis, rationis cum fundamento et sine fundamento. Hic praesertim elucet speculativa Auctoris praedilectio.

IV disputatio in quattuor quaestionibus agit de causalitate in genere et specie: de causalitate interna, externa, de materia, forma, de causa efficiente, finali, exemplari, mutua; insuper de relatione inter causam effectumque ac de causarum ad eundem effectum gignendum concursu – pp. 225-271 (46 paginae).

V disputatio in duabus quaestionibus tractat de entis divisione in substantiam ac accidens in pluribus categoriis nec non de divisione in ens materiale, corporeum et spirituale, spiritum – pp. 271-288 (18 paginae).

5. Doctrina accuratius describitur et declaratur

De ente in communi dicitur esse notionem omnium supremam, notam per seipsam, simplicissimam, proprie non definibilem (a priori), sed tantum declarabilem a posteriori – per recursum ad experientiam.

Ex usitatis in philosophia scholastica entis definitionibus reiciuntur omnes praeter illam Antonii Perez⁴, iuxta quam ens dicitur „potentiae intentionalis obiectum motivum”, cui definitioni – Morawski duce – ipsius quoque Romanus magister Martinus de Esparza subscribit.

Quoad entis qua talis habitudinem ad suas proprietates: unum, verum, bonum – propugnatur suareziana praecisio non mutua seu distinctio impar ex utraque parte, distinctio adaequata entis ad sua propria, inadaequata vero eorum erga ens in communi.

In sat ampla entis rationis tractatione asseritur non dari proprie dictas mentis fictiones (chimeras), a parte rei omnino irreales. In tantum enim sunt cognitionis obiectum, in quantum veritate donantur

⁴ Antonius Perez SJ (1599-1649), Hispanus, philosophiae ac theologiae professor Salmanticae et in Collegio Romano, auctor operum: *Conclusiones theologicae de Deo Trino et Uno*, 1648; *In Primam Partem Divi Thomae Tractatus quinque*, 1656.

obiectiva, ergo et realitate quadam. Ens rationis est igitur semper ens reale, sed false a mente cognitum, non quidem in apprehensivo actu – conceptu, sed in iudicio de aliqua realitate non recte a mente diiudicata.

Quaestio de ente possibili apud Morawski coincidit cum quaestione de realitate essentiae qua talis in seipsa sumptae et ab existentia praecisae. Contra sententiam communiorem, quae essentiae possibilis ante eius actuationem realitatem agnoscit, possibilitatem qua talem Auctor in divina collocat omnipotentia qua efficienti eius causa. Quod etiam ad peccati possibilitatem refertur. Puras possibilitates putat solummodo esse externas denominationes a divina potentia desumptas, prout Suárez⁵ et Esparza censent.

Similiter „impossibilia” et „futura” concipiuntur: in divina fundantur omnipotentia qua identificata cum ipsa.

Quaestionem inter scholasticos disputatam de habitudine inter essentiam et existentiam distinctionis ope solvit. Distinctionem realem admittit inter essentiam possibilem, cum Deo identificatam, eiusque existentiam in rerum ordine. In ente autem actu existente non nisi rationis distinctionem – suarezianam – agnoscit.

Negationes de rebus pronuntiatae earum realitatem arguunt. Cognitio enim non facit suum obiectum, sed illud extra se supponit ac detegit. Negatio ergo identificatur cum ente realiter existente quod illi negationi repugnat. Negationes proinde *aeternae* dictae, aeterna praeditae veritate necessario in Deo fundantur. Temporales vero negationes privationesque in rebus creatis ipsis oppositis innitantur oportet.

In maxime extensa tertia disputatione est sermo de entis proprietatibus et de ipsis oppositis notionibus, praesertim de iis, quae unitati contrariantur, seu de variis distinctionibus abundantissime explicatis. In unitatis quaestione multum attentionis applicatur unitati universali seu conceptibus universalibus, qui sunt unum aliquod plura respiciens, aptum in pluribus esse vel de pluribus praedicari. Tales conceptus per mentis abstractionem oriuntur, non sunt ergo nec esse possunt in rerum natura (a parte rei).

Plurium distinctionis specierum realitas praepremis modalis distinctionis ipsarumque modalitatum defenditur, quarum est entis compositi elementa constitutiva secum unire, vg. materiam et formam, actum et potentiam. Praeter modalitates accidentales etiam substantiales acceptae sunt.

⁵ Suarezius, Suárez Francisco SJ (15487-1617), Hispanus, doctor eximius, initiator „tertia scholasticae formae” ab ipsius nomine dictae „suarezianismus”, auctor *Disputatio-num metaphysicarum* (1597) aliorumque librorum.

In capite de causalitate entisque causis explicata est causae notio, eius cum effectu nexus nec non causalitatis species. Causa dicta est principium alteri entitatem communicans estque necessario cum suis possibilibus effectibus iuncta. Causalitas interna ab extrinseca habitudine ad effectum discriminatur, quatenus causae internae effectum constituunt communicando ipsi propriam entitatem – influxu unitivo, causae externae vero – actione influxuque ab extra, in quo mutuo se complent causa efficiens, finalis ac idealis seu exemplaris, non separatim, sed iunctim influentes – in uno communi influxu participant. Origo unius effectus a pluribus causis efficientibus simul concurrentibus reiecta est qua metaphysice contradictoria. Pariter reicitur reproductio sui ipsius et unius materiae a duabus vel pluribus formis „informatio”.

Ultima brevis disputatio explicat entis divisionem in quattuor categorias sibi oppositas: substantiam et accidens, spiritum et ens materiale seu corpus. In definitione substantiae accidentisque Auctor communem sententiam non sequitur, secundum quam categoriae hae definiuntur ens in se et ens in alio. Ipse substantiam concipit ut ens propria donatum perfectione, ad aliud a se perficiendum non ordinatum, accidens vero e contra ut ens de se aptum aliud a se diversum perficere. Duo alia entis genera: spiritualitatem et materialitatem ab invicem distinguit opposita ad extensionem corporalem seu in spatio habitudine, quatenus spiritus illam excludit, materia autem involvit.

6. Peculiares ac specificae enuntiationes particulares

Cognitio non creat suum obiectum, sed seipsam illi addit una cum externa denominatione illud cognitum esse vel fuisse.

Quaelibet scientifica sententia implicite Deum asserit, Eius existentiam et essentiam, qua Ens absolute necessarium et Veritatem immutabilem. Necessariae enim scientiarum assertiones solum in Deo qua Ente Absoluto inniti possunt.

Ens reale est maxime commune. Universalia autem maxime sunt cognoscibilia. Ens sumptum physice et metaphysice una est eademque realitas. Perfectio alicuius entis recessu ipsius a nihilo accessuque ad Deum mensuratur.

Constitutivum alicuius entis cum ipsius parte non identificatur. Pars enim imperfectionem incompletionemque importat, constitutivum vero non, vg. Persona Verbi Divini in unione hypostatica.

Omnipotentia divina prima est omnium rerum ratio ac idea. Agentis enim potentia tota est ratio cuiuscumque facti.

Virtute divina existere potest materia prima sine ulla forma, quae fere est nihil.

Deus absurda facere nequit, quod tamen potentiam eius non minuit, sed eius culmen constituit. Possibilitas, impossibilitas et Dei virtus realiter idem sunt, solum ratione differunt.

Proprietates entis reflexiones sunt Divinarum Personarum: Patris – unitas, Filii – bonitas, Spiritus Sancti – veritas.

Negatio negationis aliquid est positivum.

Hominis honestas probitasque in voluntatis eius rectitudine consistit, non vero in intelligentiae eius statu. Malum oriri potest non solum ex boni defectu, sed etiam ex eius abundantia, vg. in corporis membro ultra modum magno proportionis defectu laborante.

7. Generalis Auctoris eiusque philosophiae aestimatio

a) Libri natura et qualificatio

Ipsa titulo suadente textus non exponit aliquam unam peculiarem disciplinam philosophicam, vg. ontologiam, nec eius manuale dici potest, sed quandam totius philosophiae synthesim constituit, metaphysicae praeprimis, in qua maxime fundamentales continentur notiones principiaque non solum ontologiae, verum et logicae et theologiae naturali propria, immo – quod aperte asserendum est – et proprie dictae theologiae scholasticae (dogmaticae), divina revelatione innixae. In textu igitur accurata non datur delimitatio philosophicum inter ac theologicum cognoscendi modum. E contra duo haec cognitionis genera mutuo se complement ad veritatem expeditius assequendam.

Formali structura spectata textus dicendus est bene ordinatus, ad perspiciendum facilis, stabilito ordine quaestiones explicans, marginalibus etiam instructus notis, brevissime recapitulantis currens argumentum, de quo hic et nunc agitur, quae omnia libri usum latinum scientibus sermonem reddunt sat facilem.

b) Doctrinae in textu contentae specificatio

Joannis Morawski philosophia certe ad scholasticae campum pertinet estque aristotelico-thomisticae provenientiae, non igitur exclusive ipsi propria, funditus tamen ab ipso elaborata. Dicenda videtur scholastica sui generis, seu historico-criticae nec non eclectico-reconciliatoriae structurae, quae diversas ideas temporum decursu in philosophia scholastica introductas superare ac transcendere conatur, tres scilicet particulares eius formas-scholas: thomismum, scotismum, suarezianismum aliasque etiam eorum ramos, ut aliqua scholastica generalior efformetur, omnes illas sectiones in se continens.

Quomodo praestare hoc contendit Auctor? Appellans et provocans ad varias *auctoritates* diversarum scholarum, aetatum et nationum, praeprimis e Societate Jesu e variis regionibus: ex Hispania, Lusitania, Italia, Britannia, Hibernia, Belgio aliundeque – non ut in earum verba iuret, sed ut earum doctrinam autonomice examinet discernatque, quod exinde sumendum servandumque est, quod vero reiciendum in sincero veritatis inquirendae studio. Auctoritates illae, quaecumque illae sint, qualinam fama ditatae, quonamque nomine insignitae: Thomas Aquinas, Suárez et ipse Philosophus Aristoteles Stagirita pro ipso non sunt veri nominis auctoritates, quorum verbis necessario esset credendum, sed simplices veritatis inquisitores, qui in suis opinionibus ob fragilitatem humanam falli possunt. Ideo eorum quoque scripta dictaque indaganda sunt, ut exinde solum talia eligantur doctrinae elementa, quae maxime probata ac suadentia apparebunt eruntque utilia ad pleniorum veritatis cognitionem assequendam.

Doctrina a Morawski praesentata est revera veri nominis synthesis et quidem non in uno tantum sensu, quatenus in se continet iungitque secum plures philosophicas disciplinas, scholas, immo et opiniones plurimorum auctorum in motis quaestionibus utilisatas, ut sufficienter lucidae verisimilesque reddantur. Non est ergo in aliquo uno systemate clausa, sed ad omnes doctrinas acceptatione dignas, ad pleniorum veritatis cognitionem conducentes aperta. Valorem eius internationalemque famam gallica comprobatur editio philosophici textus Morawski sicut et eius scientificae opiniones ab alienigenis honoratae pro suisque acceptae, vg. ab Esparza.

c) Formalis et methodologica doctrinae sphaera

In exponenda sua doctrina Morawski potest dici *thomista*, s. Thomae sectator, iuxta eius modum mentem suam lectoribus seu auditoribus manifestans, tribus veluti gressibus procedens. Primo loco obiectiones ponit, seu argumenta adversariorum contra propugnandam thesim; secundo – propriam dat quaestionis solutionem in thesi proposita una cum eius comprobatione; tertio demum – ad positas seu ponendas contra thesim defensam difficultates respondet. Quae methodus in Summis s. Thomae Aquinatis observatur.

Claritatis facilitatisque gratia unamquamque disputationem prologo praecedat, seu brevi introductione, cuius est quaestionum in disputatione investigatarum indicare ordinem mutuamque earum connexionem, ut facilius sequens textus principalis apprehendi possit.

In demonstrandis thesibus methodum adhibet deductivo-syllogisticam (speculativam), philosophiae scholasticae propriam, una cum methodo inductiva, in recentibus scientiis usitata, cum sat magna tamen praeponderantia prioris. Per se in quaestionibus explicandis

probandisque „speculativus” dicendus est, sed etiam – aliquatenus saltem – experientiae (inductionis exemplorumque) momentum agnoscit ad abstractas intuitiones verificandas.

d) Morawski prout philosophus scholasticus

Qua scholasticae doctrinae assecla, nequit dici „originalis” in sua philosophia sensu proprio, id est exclusivus propriae doctrinae auctor, penitus a seipso elaboratae. Aliqua tamen latior philosophica „originalitas” ei attribui potest et quidem non una ratione unoque sub aspectu. Talis videtur vg. in philosophiae scholasticae conceptu, in sua ad singulas eius formas-scholas habitudine, in pluribusque ideis ac thesibus in sua philosophia propugnatis, non semper concorditer cum ceteris scholasticis, cum communiter etiam ab ipsis receptis sententiis, in audaci ad maximae quoque notae auctoritates scholasticas oppositione et forte in aliis etiam punctis. Non fuit certissime unius tantum scholae absolutus sectator, sed in omnibus veritatis semina quaerebat inventaque exhauriebat ad propriam mentem doctrinamque efformandam, quae maxime convincens esset sibi ipsi et aliis.

In eius igitur doctrina philosophica pacifice coexistunt omnium philosophiae scholasticae sectionum elementa: thomistica, scotistica, ockhamiana, suareziana aliaque, aliunde forte etiam desumpta, quae ipsi opportuna visa sunt aptaque ad certam plenamque – in quantum possibile – veritatis assecutionem, quod ei unice cordi erat.

Philosophia eius insuper indolem habet historico-criticam. Quaestiones considerat in earum in mente humana historica evolutione, varias de iisdem prolatas sententias attendens, e quibus unam eligit probandam, maxime verisimilem ceterasque refutat, non obstante earum origine et provenientia. Inde sat frequentes recursus ad scriptos philosophicae traditionis fontes, id est ad *auctoritates*, inter quas in eius citationibus eminent Aristoteles, Thomas Aquinas et Suárez, a quo ultimo forte pluries sumpsit ideas quam ab aliis auctoribus. Ideoque aliquo sensu certoque gradu „suarezianus” dici potest vel saltem ad suarezianismi fautores annumerari.

Fuit quoque vir valde eruditus in litteris philosophicis, in Patria et in exteris partibus, publici iuris factis, quod testantur plurimae in suo libro citationes ex operibus plurimorum auctorum desumptae, variarum aetatum et fere omnium in Europa vigentium nationum, propria natione non excepta.

Ex iis, quae hucusque dicta sunt, Morawski dignus videtur historico-scientifica mentione etiam hodierno tempore⁶.

⁶ P. Romano Darowski SJ, qui me hunc articulum praeparantem multum adiuvit, gratum praesto animum.

Franciszek BARGIEŁ SJ

FILOZOFIA JANA MORAWSKIEGO SJ (1633-1700)

Powyższy artykuł przedstawia główne wątki zawarte w rozprawie ks. Franciszka Bargieła SJ pt. *Filozofia Jana Morawskiego SJ (1633-1700)*, zamieszczonej w pracy zbiorowej: *Studia z historii filozofii*. Pod redakcją Romana Darowskiego, Kraków 1980, s. 116-145. Artykuł ma na celu zwięzłe przedstawienie sylwetki filozoficznej Morawskiego i kieruje się głównie do czytelników nie znających języka polskiego.

Streszczenia rozprawy i opracowania tekstu w języku łacińskim dokonał Autor.